



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Inhaltsverzeichnis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

## EPISTOLA I.

ZOSIMI PAPÆ  
AD HESYCHIVM SALONITANVM  
EPISCOPVM.

- I. *Quod monachi vel laici, nisi per gradus ecclesiasticos, non debent ad summum sacerdotium pertinere.*
- II. *Quod si quis interdicta despexit gradus sui periculo subiacebit.*
- III. *Quo in singulis clericorum gradibus tempora sunt prefixa.*

*Zosimus episcopus urbis Romæ, Hesychio episcopo Salonitano.*

## I.

**E**XIGIT dilectio tua præceptum apostolicæ sedis, in quo patrum decreta consentiunt, & significas, non nullos ex monachorum populari cœtu, quorum solitudo quauis frequentia maior est, sed & laicos, ad sacerdotium festinare. Hoc autem specialiter & sub prædecessoribus nostris, & nuper a nobis interdictum constat litteris ad Gallias Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio, quamuis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret: & non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in ordinatores eius, ut carerent eo ordine quem sine ordine contra præcepta patrum crediderant præsumendum. Vnde miramur, ad dilectionem tuam statuta apostolicæ sedis non fuisse perlata. Laudamus igitur constantiam propositi tui, frater carissime, nec aliud de pontifici tui veteri censura auctoritatis genus expectandum fuit, quam ut talibus ambitionibus, pro præceptis patrum, in procinctu fidei constitutus, occurreres. Igitur si quid auctoritati tue (quod nos non opinamur) æstimas defuisse, supplemus. Obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ & arrogantiae venienti. Tecum faciunt præcepta patrum, tecum apostolicæ sedis auctoritas. Si enim officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis in-

Dist. 36.  
Qui eccl.  
asticis.  
Et dist. 59.  
Qui eccl.  
asticis.